

(id est solemniter excommunicari circumstantibus Episcopum presbyteris candelas tenentibus, quas deinde in terram projiciant ac pedibus conculcent) *postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat... per secularem comprimendus est potestatem (videlicet degradatus) ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima poena inferatur: ita cap. cum non ab homine 10 lib. 2. tit. 1. de jud.*

DISPUTATIO XXVII.

De furto.

Furtum est ablatio occulta rei alienae invito Domino.

Dicitur 1. Ablatio sub qua etiam detentio intelligitur 2. Occulta: non quod debeat esse occulta eo modo, quasi absolutè deberet latere homines quoscunque à fure distinctos, sed ut lateat eum, cujus est res ablata, item illum, qui pro Domino rem illam custodit. Hæc ratio occulti est ipsum formale, penes quod furtum in ratione injustitiæ specie differt à rapina: nam hæc specialem injuriam infert rei Domino, rem ejus violenter auferendo sive sciente & vidente ipso Domino vel saltem sciente & vidente alio, qui pro Domino rem conservat, ita ut ablatio rei v.g. pertinentis ad Joannem sit rapina, si famulo Joannis ad ejus custodiam deputato sciente vidente & reluctante auferatur.

Dicitur 3. Rei alienae: intellige rem spectantem ad alterius hominis dominium vel quasi, porro ad illius quasi dominium spectant v.g. pignus & hypotheca, nam spectant ad alterum, quatenus sunt alteri pignus & hypotheca, ut propterea censeatur quis furtum committere invito altero furando rem aliàs suam, sed alteri oppignoratam vel hypothecatam.

Di-

Dicitur 4. Invito Domino; intellige rationabiliter: nam si Dominus quidem invitus sit, at irrationabiliter, non dicitur rei istius ablatio esse furtum; cum non sit injusta ablatio, ut si quis v. g. furenti auferat gladium suum, ne se vel alium in furore occidat.

Furtum generaliter sumptum habet sub se diversas species propria nomina habentes: dum aliquis enim ex bonis publicis vel ad communitatem immediate pertinentibus aliquid surripit, dicitur peculator, si quis hominem liberum furetur, dicitur plagarius vel plagiatum committere vel plagii reus, furtum rei sacræ vel ex loco sacro dicitur sacrilegium; qui pecus ex grege furatur vel armento, dicitur abigeatum facere; de quibus singulis sunt diversæ leges varia genera pœnarum decernentes.

QUÆSTIO I.

De quantitate requisitâ ut furtum sit mortale peccatum.

NOta: illud dicitur peccatum mortale ex genere suo, quod est tale ex suo objecto, tunc autem est mortale ex parte sui objecti, quando objectum est tale, ut istud quâvis circumstantiâ sepositâ sufficiat ad peccatum mortale, sive quando objectum est tale, ut non egrediendo latitudinem objecti possit tale peccatum esse mortale, licet possit manendo intrâ latitudinem objecti etiam esse veniale tantum sive ob parvitatem materiæ vel ob imperfectionem actus; sic furtum dicitur peccatum mortale ex genere: quia quâvis aliâ circumstantiâ sepositâ potest quis furando peccare mortaliter, potest inquam manendo intrâ latitudinem objecti actionis furtivæ, licet etiam detur furtum veniale quo vel res parva auferatur, vel quia rei furtivæ ablatio contingit per actionem imperfectè deliberatam v. g.

in

in homine ebrio vel stulto. Hoc notato certum est furtum esse ex genere suo peccatum mortale tum quia Apostolus 1. ad Cor. 6. dicit : *neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Tum quia per furta ex objectis gravia graviter impingitur in leges justitiæ & charitatis , quibus proximo arctè astringimur.

DICO I. *Si quis furtivè hujusmodi res minimas accipiat , potest excusari à peccato mortali , si tamen habeat animum furandi & inferendi nocumentum proximo , etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale* S. Th. hic Q. 66. A. 6. ad 3. Sive ad peccatum mortale furti requiritur materia gravis , potest tamen etiam quandoque peccari mortaliter in materiâ levi.

Prima pars conclusionis probatur : furtum rei tantum levis non repugnat ità fini charitatis nec humanæ societatis jura valde violat ; ergo nec est peccatum mortale , sed ut sit peccatum mortale , requiritur materia gravis ; quæ autem materia sit sufficiens ad peccatum mortale : Variè statuitur ab Authoribus : potestque hæc quantitas dupliciter considerari vel absolute , vel respectivè videlicet in ordine ad circumstantias personæ , loci , temporis , unde ut determinetur gravitas materiæ in particulari , debet haberi ratio personarum aliarumque circumstantiarum , ità si minor summa subtrahatur attentâ ratione personæ & necessitate rei , damni que ex illius ablatione secuti , sæpius mortaliter peccatur : qui enim pauperi furatur assem , qui ipsi ad comparandum panem est necessarius , lethalis absque dubio peccati reus erit , non minus quam si diviti v. g. decem asses furaretur ; sic etiam , qui artificio furatur instrumentum suæ artis modici quidem pretii , quo tamen subtracto cessat à labore , adeoque nihil operando lucratur

eratur, quia statim aliud comparare non potest, mortalis peccati reus est. Certior tamen regula hic dari nequit, quam hæc: illa qualitas sufficit ad peccatum mortale furti, quæ æstimatur pretio, quod sufficit ad sustentationem diurnam illius personæ, cui furtum fit. Ratio est: quia illa summa censetur in æstimatione morali notabilis, cum sit notabiliter comoda ad usus humanos, & qui injustè hominem privaret sustentatione unius diei, ei grave incommodum inferret: quia autem hæc regula datur respectivè ad personam, cui fit furtum, plus enim requiritur ad sustentationem divitis, quam pauperis, nihilominus videtur dicendum, dari aliquam quantitatem quæ sive à paupere sive à divite vel à ditissimo v. g. Rege auferatur, sufficiat ad peccatum mortale, quod nimirum per tantæ rei ablationem injustam tam graviter impingatur contra Justitiam, ut propterea committatur peccatum mortale, etsi juxtà morale loquendi modum ditissimus aut parum aut nihil incommodi ex tantæ rei ablatione patiatur. Quia est aliqua quantitas, quæ notabilem adfert utilitatem, licet ob abundantiam dives non sentiat ex carentia rei illius aliquod damnum, sic v. g. licet Regi quasi nullum adferat incommodum, quod auferatur imperialis, quia tamen servit ad alendum equitem aut ad faciendam donationem, est illa materia gravis absolutè sufficiens ad peccatum mortale, si rationabiliter invito auferatur. Variant autem AA. in assignanda hac quantitate, aliqui duos ducatos, alii unum, alii dimidium ducatum statuunt: mediotutissimus ibis. *Dixi supra*: etiam habendam esse rationem rerum, aliquæ enim res periculo obnoxie, ut fructus arborum vel agrorum, esculenta & poculenta non ità facilè constituunt materiam gravem, licet tantæ æstimentur, quantum si in pecunia vel aliis rebus

rebus ita non obnoxiiis periculo auferretur, esset peccatum mortale.

Obj. Si deberet inferri damnum grave, ergo qui a singulis minutas res auferendo pervenit ad notabilem quantitatem, non peccat mortaliter; quia nulum graviter damnificat.

ry. Negando sequelam, cujus probatio distinguitur: nullum divisivè & seorsim acceptum graviter damnificat *Con.* collectivè, & ut cum aliis damnificatis unam constituit communitatem, consideratum *N.* de quo statim.

Secunda pars explicatur & probatur exemplis; primo ratione intentionis furtum materiae levis est peccatum mortale, si is, qui parum furatur, habeat intentionem plura furandi, si plura se obtulissent, quia autem fures in furando plerumque habere solent similem intentionem, furandi scilicet quantum possunt, hinc de hac in confessione examinandi sunt. *Secundo* qui ab eodem per plura minuta furta auferret rem notabilem vel gravem, etsi in minoribus furtis illud non intenderit, peccat mortaliter, si ad tantam quantitatem pervenerit, eo quod tunc proximo inferatur grave damnum; quod ita intelligendum est: non quod illa furta minuta simul sumpta constituent unum grave: quia plura venialia peccata simul sumpta non constituunt unum peccatum mortale; sed quod ultimum furtum, quo completur materia gravis, sit mortale; quanquam enim illud ultimum furtum etiam sit de se leve, ideoque si illud quis committeret non advertens præcedentia furta, peccaret solum venialiter; attamen ultimum furtum conjunctum aliis præcedentibus complet materiam gravem; ultimum enim furtum conjungitur aliis furtis ratione materiae ablatae; cum omnes materiae etsi diversis furtis ablatae constituent materiam

nota-

notabilem; ex quo ulterius sequitur: quod qui illis minutis furtis rem notabilem ablatam negligit restituere, continuo peccet peccato iniquæ detentionis, & si rem aliquam restituat, quâ restitutâ non manet amplius materia notabilis, de cætero non peccabit mortaliter peccato iniquæ detentionis, dum non amplius retinet summam ad peccatum mortale sufficientem. Tertio ille, qui per minuta furta intendit à diversis auferre rem gravem, peccat mortaliter ratione intentionis mortaliter malæ, & quidem in quolibet furto: cum quodlibet furtum proveniat ex intentione mortaliter malâ, imò etsi hoc non intenderet, dum tamen illo casu pervenit ad materiam gravem, peccat mortaliter, si hoc advertat: ratio est: quod talis revera auferat materiam gravem, eamque retineat & grave damnum inferat communitati illorum, qui damnum patiuntur; sic peccant mortaliter, qui volunt rem magnam sibi acquirere arrogando vel corradendo minuta à diversis live per stateram aut mensuram dolosam vel minorâ pondera; notandum tamen, quod plerumque requiratur major quantitas, ut per minuta furta perveniatur ad mortale, quando illa furta facta sunt diversis, quam quando fiunt uni & eidem, eò quod illo casu non soleant domini ita esse inviti, sicut etiam requiritur major quantitas, si illa minuta furta fiant eidem, sed per longa intervalla. Quarto si plures consilio, jussione, conventionem simul inferant grave damnum uni personæ, peccant singuli graviter, licet singuli seorsim sumpti inferant damnum leve: quia singuli sunt injusta causa gravis damni, si verò id fiat merè casualiter, neque in damnificando concurrant, sed unus damnificet independentem ab alio, singuli non peccant nisi venialiter.

Q. An qui sciens ablatam rem exiguam ab alio v. g. Petro eidem furatur rem exiguam, quæ cum alio furto conjuncta compleat rem gravem, peccet graviter?

R. Negativè, etsi in illo casu dominus patiatur grave damnum, illud tamen non patitur ex unâ parte, dummodo nullo modo simul concurrant incitando, consulendo, mandando; neque idem est, si quis post multa vulnera ab aliis inflicta superaddat vulnus leve, ex quo tamen sequitur occisio: quia illud ultimum vulnus causat injuriam gravem distinctam ab injuriâ antecedente vulnerum, dum causat mortem.

DICO. *Utire alienâ occultè acceptâ in casu necessitatis extremæ non habet rationem furti propriè loquendo.* S. Th. hic Q. 66. A. 7. ad 2. Sive licet acciperem alienam in necessitate extremâ non verò in necessitate gravi.

Pro intelligentiâ conclusionis observa triplicem solere distingui necessitatem: *extremam*: quando imminet periculum vitæ, nisi succurratur, *gravem*, per quam vita miserè trahitur, *communem*, quâ laborant pauperes mendicatio viventes. Hoc notato

Prima pars probatur: In extremâ necessitate dominus non potest esse rationabiliter invitus, eo quod quisque suæ extremæ necessitati quoquo modo succurrere possit, & pro extrema necessitate omnia sint communia, cum communis rerum divisio casum extremæ necessitatis non comprehendat, nec comprehendere possit; cum verò debeat quisque diligere proximum suum sicut seipsum, etiam potest quilibet pro necessitate extremâ proximi alienas res surripere, modo surripens nihil proprii habeat, quo possit extremam necessitatem proximi sublevare.

Ex quibus sequitur: quod si quis alium extremè
indi-

indigentem impediatur, ne aliena vel etiam propria
 surripiat, peccet contra justitiam: licet enim quis
 non sit obligatus ex justitiâ extremè indigenti rem su-
 am dare, sed solum ex charitate, eò quod extrema
 necessitas non det dominium rei: adeoque dominus
 non dando, quod neodum est alterius, jus nullius
 violat, ideoque nec peccat contra justitiam, dat
 tamen extrema necessitas jus ad rem: putà; apprehen-
 dendam, quæ apprehensa fit sua, prout fit in ap-
 prehensione rerum communium, ideoque impediens
 apprehensionem violat jus alterius, quod habet ad
 rem illam apprehendendam, quam facit necessitas
 communem. Ex quo ulterius deducitur, si dominus
 volentem surripere in extremâ necessitate vellet im-
 pedire & repellere, hic posset eundem tanquam sui
 juris invasorem aggredi & vicissim repellere.

Limitatur conclusio.

1. Extremè indigens non potest rem alienam sur-
 ripere, quando ille, cui aufert, est in eadem ne-
 cessitate, quia *in pari causa* (in pari necessitate) *me-
 lior est conditio possidentis.* R. J. 65, in 6.

2. Si dominus rogatus crederetur verisimiliter
 rem esse concessurus, non liceret incio domino
 rem surripere, nisi fortè esset talis, quem dedeceret
 mendicare; si enim dominus sit paratus subvenire,
 si rogetur, non est alter in extremâ necessitate,
 facile enim scilicet rogando necessitatem suam suble-
 vare potest.

3. Transactâ necessitate debet res ablata reddi,
 si adhuc extet in propriâ specie, prout sæpius fieri
 potest, dum per solum usum rei extremæ necessitati
 succurritur; si verò usu rei res ipsa consumatur,
 transactâ necessitate res non est in æquivalenti resti-
 tuenda; eò quod res illa pro tali casu necessitatis non
 solum sit facta communis quoad usum, sed etiam
 quoad proprietatem.

Secunda pars conclusionis est communis & expressa in cap. si quis 3. de furt. lib. 5. tit. 18. Si quis propter necessitatem (juxta Gl. ob quam res non est facta communis) famis aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus poeniteat hebdomedastres. Eiusque oppositum damnatum est ab Innocentio XI. in propos. 36. permissum est furari non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi ratio est: quia in gravi necessitate non fiunt omnia communia, neque quâ conditione est facta rerum divisio; alias enim innumeris furtis aperiretur janua, dum quilibet excæcatus amore proprio facile sibi persuaderet, se esse in gravi necessitate, non sine magna perturbatione reipublicæ, & quanquam teneantur domini in gravi necessitate succurrere, tamen non erit indigentibus integrum eadem surripere: cum sit in arbitrio domini bonis suis, cui voluerit succurrere, ideoque dominus rei est rationabiliter invitus, quod res sua sibi auferatur, esto necessitas tanta sit, ut dominus irrationabiliter non det indigenti: etenim hæc duo simul stant: dominus rem suam irrationabiliter non dat & dominus rationabiliter non vult illam sibi auferri.

QUÆSTIO II.

An fur continuo peccet donec restituat?

DICO *Per dilationem restitutionis committitur peccatum injusta detentionis, quod justitia opponitur, ideo necesse est... ut statim restitutio fiat S. Th. hic Q. 62. A. 8. ad 3.*

Probatur prima pars: rem alienam domino invito retinere non minus est peccatum contra justitiam, quam injustè auferre: quia per talem detentionem dominus impeditur in usu & possessione suæ rei, sed proximo facere injuriam est peccatū contra justitiam

ergo

ergo etiam rem proximi illo invito retinere, adeoque quamdiu fur est in morâ culpabili restitutionis, est in continuo peccato actuali retentionis rei alienæ, quæ est continuata ejusdem rei detentio, sicut est in actuali peccato injustæ læsionis, qui hominem, quem injustè in vincula conjecit, continuò in carcere detinet; non tamen sunt plura peccata actualia, quamdiu iste affectus non est moraliter interruptus & renovatus; sed fur iniquè detinens rem alienam toties de novo peccat, quoties animo occurrit obligatio restituendi, & tamen concipit affectum non restituendi, qui tamen ordinariè pœnitens interruptarum volitionum meminisse non potest, satisfacit in confessione dicendo: quanto tempore rem alienam detinuerit, & quoties habitam occasionem restituendi culpabiliter neglexerit.

Secunda pars explicatur: restitutio statim fieri debet non mathematicè sed moraliter nempe quamprimum moraliter potest, levis namque morula detentionis parum nocere potest creditori, licet commoditas & opportunitas restitutionis occurrerit: quia taliter non censetur is, cui res est ablata, rationabiliter invitus, igitur statim in sensu morali est restituendum: quia statim à damnificatione injustâ proximi est desistendum. An autem fur differendo restitutionem graviter peccet, ex hac regula (supposito firmo proposito restituendi) cognosci potest, nempe attendendo ad damnum quod per talem moram infertur ei, cui res est ablata vel ad ipsius gravem reitentiam, nam si adhuc per breve tempus dilatâ restitutione non censetur graviter invitus aut damnificatus, non erit peccatum grave restitutionem differre, nisi esset periculum vel animum mutandi, vel novi impedimenti interventuri, quæ omnia arbitrio prudentum sunt determinanda.

Obj. 1. Præceptum restitutionis est affirmativum, est autem distinctio inter præcepta affirmativa & negativa, quod hæc ad semper, illa verò ad determinatis temporibus operandum obligent.

R. Distinguendo Maj. est affirmativum explicitè quoad sonum verborum Con. implicitè quoad rationem præcipiendi N. ratio enim præcipiendi est: ne quis continuet alterius injustam damnificationem.

Obj. 2. Homo non tenetur satisfacere Deo pro injuriâ per peccatum illatâ per Sacramentum penitentia, ergo neque tenetur statim restituere homini.

R. Omissio antecedente, de quo in tertia parte, negando consequentiam disparitas est: quia Deo satisfaciendo nullam adferimus utilitatem, sicut restitutio homini utilis est. Unde homo hanc statim exigere censetur.

Ex dictis inferes: futurum esse incapacem absolutionis si vel non habeat firmum propositum restitutionis vel restitutionem ad mortem usque differat, vel cum habeat rem in magna quantitate, & totum solvere possit, velit solum restituere per partes cum incommodo notabili & renitentia domini: quia absque tacita vel expressa licentia hujus non potest restitutionem differre nec in hoc Confessarius potest dispensare.

Q. Quænam sint pœnæ furti?

R. I. De jure Civili veteri tantum restitutio imponebatur furi, ut si fuerit furtum manifestum id est: deprehensum vel in clamatum, antequam fur rem furto sublatam ad locum, ubi saltem illâ die manere destinaverat, deportaret, condemnaretur in quadruplum, si verò fuerit non manifestum, in duplum §. 3. & 5. instit. de oblig. quæ ex delict. lib. 4. tit. 1. quæ pœna in
constit.

constit. crimin. Car. V. relicta est in furtis minoribus infra quinque ducatos ungaricos, si fuerint furta non manifesta aut etiam manifesta personarum honestioris conditionis, in quibus spes non vana sit emendationis, vilis verò persona ob furtum simplex manifestum ad numellas exponitur, virgis cæditur, & è territorio relegatur, si verò primum furtum ultrà quantitatem dictam cum magno alterius damno excreseat pœna exasperanda & pro gravitate circumstantiarum etiam pœna mortis infligi potest. Idem est de furto simplici secundo. Si verò furtum in notabili quantitate tertio fuerit iteratum (præsertim à personis vilioribus) vel aliud sive primum sive aliud sive manifestum sive non manifestum fuerit periculosum aut malè qualificatum cum armis, conscensione vel effractione ædium patratum, viri laqueo suspenduntur, fœminæ verò alio mortis genere juxtà ejusque loci consuetudinem afficiuntur.

Nec dicas: non esse proportionem inter bona temporalia, quæ fures auferunt, & vitam quâ privantur; licet enim non sit proportio inter vitam furis & bona temporalia, est tamen proportio inter vitam & bonum commune, quod fures vitâ privati exigat, ut cæteri à furtis abstineant.

2. De jure Canonico Clericus furti reus & convictus deponitur can. Presbyter 12. Dist. LXXXI. si depositus incorrigibilis fuerit juxta suprâ cit. cap. cum non ab homine 10. de Jud. contra eum procedi debet. Præterea convictus & condemnatus de gravi furto efficitur infamis can. infames 17. Caus. VI. q. 1. qui proinde sine dispensatione ad altiores ordines promoveri non debet.

Q U Æ S T I O III.

De tacitâ Compensatione.

Compensatio tacita vel occulta est, quando aliquis ad compensandum illud, quod censet alium

sibi debere, debitore ignorante surripit tantum, quantum sibi deberi iudicat.

DICO. *Qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet (Sic ideo non tenetur ad restituendum aliquid vel ad recompensandum) sed peccat contra communem iustitiam cum ipse sibi usurpat sue rei iudicium juris ordine prætermisso.* S. Th. hic Q. 66. a. 4. ad 3. Sive iudicè potens rem suam recuperare & eam secretò surripiens, peccat contra juris ordinem, si verò iudicè rem suam recuperare nequeat, cum certis conditionibus potest quis occultà compensatione uti.

Ima Pars probatur: Tum fit injuria iudici & negligitur ordo à jure constitutus, dum quis seipsum in propriâ causâ iudicem facit contra L. un. C. ne quis in suâ causâ lib. 3. tit. 5. non tamen peccat peccato furti, quando res est ipsi debita vel ab eo injustè ablata: quia nulla fit inæqualitas nec alter justâ ratione invitus est, præferim si sit in morâ solvendi, nisi res illa apud alium existeret iusto titulo v. g. depositi, pignoris, locationis. Tunc enim qui eam recuperaret occultè propriâ Auctoritate, cum posset via iudicâ, etiam peccaret peccato furti.

2da Pars explicatur: Conditiones ad hoc ut occulta compensatio sit licita, si res iudicè recuperari nequeat, sunt sequentes: 1. Requiritur ut debitum sit certum: non enim sufficit, quod debitum sit dubium vel probabile solum: quia tunc debitor etiam habet rationem probabilem, ratione cuius est rationabiliter invitus circâ talem compensationem. 2. Requiritur ut non possit rem aliâ viâ recuperare aut absque notabili difficultate cum pluribus expensis. 3. Requiritur ut non accipiat rem aliquam ad alium spectantem & apud debitorem depositam, sed suam vel debitoris, nam

com-

compensatio fieri debet ex bonis debitoris, & quidem
 ex bonis ejusdem speciei, si fieri possit, idque cum
 minori debitoris damno. Unde 4. necessarium est ut vi-
 detur damnum tam spirituale quam temporale de-
 bitoris, ita ut iste non maneat amplius in malâ fide,
 putans se nondum solvisse, ideoque cautè monendus
 est debitor de ablatâ obligatione solvendi, ne ipse vel
 ejus hæredes eandem rem bis solvant 5. Requiritur
 ut evitetur damnum vel periculum tertii, qui forte ve-
 nient in suspicionem furri, vel habet jus prælationis in
 bonis debitoris, cui per compensationem fieret præ-
 judicium. 6. Debet abesse periculum scandali vel
 infamiæ, ne scilicet compensans tanquam fur habeatur.
 Denique compensanti debet aliquid esse debitum ex
 justitiâ, non enim sufficit, quod sit debitum ex cha-
 ritate vel gratitudine, his conditionibus subsistentibus
 potest esse licita occulta compensatio; quia tamen ra-
 rò hæc omnes conditiones concurrunt meritò damnata
 est ab Innoc. XI. hæc propositio inter damnatas 37.
 tanquam perniciofa & scandalosa: *Famuli & famula
 domestica p'ssunt occultè suis heris surripere ad com-
 pensandum operam suam, quam majorem judicant sa-
 lario, quod recipiant;* famulos enim & Ancillas alios-
 que ad officium judicis communiter ineptos hæc pro-
 positio iudices constituit in propriâ causâ, in æstiman-
 dis videlicet suis operis & taxando pretio eis debito in
 materia, quæ est istius generis, ut nulla magis soleat
 famulos & Ancillas utpote cupiditate lucri & æstimatio-
 ne operarum suarum præventos in errorem sibi faven-
 tem inducere, quod verò dicitur de famulis, exten-
 dendum est ad agrorum & rerum quarumcunque con-
 ductores, quibus etiam non est permiffum occultè
 permittere usurpationem rei, quantum sufficit ad com-
 pensandum excessum, quo pretium solvendum judi-
 cant excedere usum rei conductæ; hoc enim semel con-

cesso omnium contractuum genera erunt occultis compensationibus obnoxia.

QUÆSTIO IV.

De furtis uxorum Filiorum &c.

SUPPOSITA distinctione bonorum, quæ ad uxores, Filios familias, servos conductitios pertinent, quæ in Disp. XIX adducta est, modo quæritur, an & quando peccent graviter, si ex bonis conjugum, parentum, herorum surripiant, ad quæ quidem jus non habent, attamen non ita exclusi sunt ab eorum usu sicut extranei.

DICO, *Communiter ad hoc obligatur homo, ut nulli inferat nocumentum.* S. Th. hic Q. 122. a. 6. ad 1. Sive etiam uxores, Filii, domestici alique ex bonis maritorum parentum herorum & cæterorum auferentes fiunt rei furti, major tamen in his quantitas requiritur ad hoc sit peccatum mortale, pro diversitate rerum.

1ma Pars probatur: Ex illo Prov. 28. v. 24. Qui subtrahit aliquid à Patre suo & Matre: & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est. Id est prædonum & latronum alios injustè spoliantium socius est. Ratio est: quia hi omnes sunt rationabiliter inviti si occultè quid ex eorum bonis surripiatur.

2da Pars probatur: Uxor ad bona mariti, Filius ad bona parentum, domestici ad bona herorum plus juris habent quam extranei. Ut tamen in particulari differentia hæc intelligatur.

Observa 1. Quoad uxorem quod non peccet mortaliter, si quantitas iudicio prudentis spectato statu opibus aliisque circumstantiis non sit notabilis. *2.* Si expendat ex bonis paraphernalibus sibi propriis: cum illa nullo modo ad virum pertineant. *3.* Si ex bonis communibus faciat Eleemosynas ac donationes fieri solitas

litas à mulieribus ejusdem conditionis : eæ enim ad inoralem sustentationem uxoris quodammodo pertinent. 4. Si quid expendat pro impediendo damno mariti vel temporali vel spiritali : tunc enim maritus non potest esse rationabiliter invitus. 5. Si quid accipiat pro rebus sibi vel familiæ necessariis, quas maritus subministrare est obligatus. 6. Si maritus dissipet bona communia, si amens, furibundus, absens sit, ità ut uxori totius domûs administratio incumbat. 7. Si pauperibus parentibus vel prolibus prioris Thori ex propriis succurrere nequeat, tunc ex communibus vel ex dote iisdem succurrere potest, nec in hoc maritus rationabiliter invitus esse potest, quod extenditur ad uxoris sororem vel Fratrem ex L. mutus 73. §. 1. ff. de jure dot. lib 23. tit. 3. *Manente matrimonio non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest, ut sese suosque alat ut fundum idoneum emat, ut in exilium, ut in insulam relegato Patri præstat alimoniam, aut ut egentem virum, Fratrem sororemve sustineat.*

Observa 2. Quoad filium familias 1. peccat mortaliter occultè accipiendo rem notabilem, cujus dominium vel usufructus est penes Parentes, si isti sint rationabiliter invitati, & tenetur ad restitutionem. 2. Quantitas est determinanda cum aliquo tamen excessu respectu extranei, pro conditione statûs, locorum aliarumque circumstantiarum judicio prudentis : plus enim licebit accipere filio Parentis prædivitis quam mechanici. 3. Filius notabilem summam pecuniæ ad honestos usus v.g. ad libros, vestes, victum concessam convertens in ludum, computationem, fœminas contrà voluntatem Parentum peccat graviter : cum Patens non indeterminatè sed restrictè ad certos usus, pecuniæ dominium in filium transtulerit. 4. Si filius in notabili quantitate excessit, tenetur quidem vel in vita Parentum restituere vel post mortem in divisionem cum

cum fratribus adducere, frequenter tamen vel ob præsumptam condonationem Patris si rogaretur, vel si non excedat summam illam, de qua Pater absque præjudicio & injuria aliorum filiorum potuit liberè disponere, vel si alii cohæredes similibus acceptionibus tantundem obtinuerint, ab hâc collatione excusatur.

Observa 3. Quoad domesticos, quod saltem à gravi furto excusentur, si possint ex liberalitate & humanitate Domini præsumere ipsum ad acceptiones rerum modicarum, præsertim in esculentis & poculentis non esse invitum, sicut sæpè in illis rebus ad esum & potum destinatis, quæ sub arcta custodia non asservantur, heri inviti non sunt, quod eas accipiant domestici à se consumendas, cum tamen aliis tradendo graviter peccent, sicut etiam accipiendo res recludi solitas. Item si quando aliquid ratione justæ compensationis superius expositæ & qualificatæ accipiant.

Observa 4. Quoad Sartores retinentes fragmenta superflua, quod, si justum pretium laboris solvatur: eadem sine læsione justitiæ retinere non possint nisi Domini scientes & non repentes ejusmodi fragmenta præsumantur consentire. Idem est de aliis artificibus ex materiâ sibi subministratâ artefactum conficientibus.

Q. 1. Quomodo differat rapina in ratione peccati à furto?

R. Rapina, prout contrâ furtum strictè dictum distinguitur, est violenta rei alienæ ablatio Domino invito. Vel est ablatio, quæ fit Domino rei vel qui in re custodienda Domini vicem gerit spectante & reluctante, estque hæc etiam in ratione injustitiæ peccatum gravius, quam furtum, idque ob injuriam majorem ex ipsa violentia proveniente; rationabiliter enim cæteris paribus magis invitè ferimus, quod res nostra violenter nobis extorqueatur, quam quod eadem clam nobis auferatur.

Q. 2. Quinam sint rei rapinæ?

R. Casus speciales in quibus fit rapina sunt sequentes:

1. Rapinæ rei sunt fraudatores creditorum, qui fraudulentè bonis & foro cedunt, debita contrahunt, cum sciant se non esse solvendo; qui post debita contracta bona sua dilapidant, & se insufficientes reddunt ad solvendum; qui dolo impetrant à Creditoribus remissionem partis dicentes, se non habere, unde solvant, vel offerunt partem solutionis, si altera Pars remittatur; cum tamen toti æri alieno solvendo satis sint: vis enim inferitur Creditoribus. quia sponte creditores aliud essent facturi nec debitum remissuri.

2. Rapinæ rei sunt non solum homines privati, sed etiam Principes & Magistratus, qui contrà jus aliquid auferunt à subditis.

3. Rapinas exercent milites, qui in bello etiam justo prædas agunt, domos incendunt, agros depopulantur absque jussu Principis vel ducis, si autem hoc faciant ex eorum Præcepto in bello justo excusantur, dum etiam innocentes hostilis Reipublicæ spoliant iis rebus, quibus hostes essent usuri.

4. Similiter rapinæ rei sunt milites, qui cives, apud quos diversantur, sive in itinere sive hyemalibus stationibus aut præsidiis, hostilem in modum vexant, pecunias aut alia extorquent, præter id, quod ipsis constitutum est.

5. A rapina non excusantur duces militum, qui militibus stipendia non solvunt, completas legiones vel cohortes non habent, & tamen pro numero militum, quo deberent constare, stipendia exigunt; à Pagis pecunias accipiunt, ut milites in alia loca hospitii gratiâ ducant; duces enim militum ea victualia solum percipere possunt, quæ ex consuetudine & mandato Principum indicuntur, idque in illo tantum loco, ubi excipiuntur

piuntur hospitio, nec Jus habent aliquid exigendi ab iis, apud quos non diversantur.

Q. 3. Quomodo puniantur raptores proprie dicti?

R. 1. De jure civili contra raptores agi potest *civiler* intra annum ut non tantum rem vi ablatam, si extet, alioquin ejus æstimationem cum lucro cessante & damno emergente restituat, sed etiam triplum ejus, quo res vi ablata æstimatur instic. lib. 4. tit. 2. de vi bonor. rapt. criminaliter verò in ordine ad pœnam Reipublicæ pendendam frequentius ob inopiam conveniuntur, ac si cum armis & tumultu aliena invaserint & deprædati fuerint, capite puniuntur L. 11. ff. ad L. Jul. de vi publ. lib. 48. tit. 6. Et grassatores ac prædones ex constit. Carol. V. licet latrocinium aut homicidium non commiserint morte puniuntur. Quod si occiderint spe prædæ, rota ipsis in eadem constit. statuitur.

2. De jure Canonico raptores excommunicandi sunt ab Episcopo illius lo. i, in quo rapinas fecerint, quamvis alterius diœcesis sint, nec absolventur, donec competenter satisfaciant, eademque excommunicatio proprio Episcopo est significanda, ne eos recipiat ante plenariam satisfactionem cap. de illis 1. de rapt. &c. lib. 5. tit. 7. eod. tit. cap. excommunicationi 3. incurrunt ipso facto excommunicationem qui naufragorum Christianorum bona diripiunt, quæ excommunicatum in hos, tum in deprædantes Christianos, qui in mari navigant, in Bullâ Cœnæ reservatur summo Pontifici.

